

**Disputatio medica inauguralis de potionis frigidae in morbis febribus usu / [John Taylor Griffin].**

**Contributors**

Griffin, John Taylor.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour & Smellie, 1774.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/x7jmfkxb>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
POTIONIS FRIGIDÆ IN  
MORBIS FEBRIBUS USU:

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES TAYLOE GRIFFIN,  
VIRGINIENSIS.

Ad diem 13. Junii, hora locoque solitis.

Ergo etiam ingeniosissimus seculi nostri medicus, quem nuper vidimus,  
Cassius, febricitanti cuidam et magna siti affecto, cum post ebrieta-  
tem eum premi coepisse cognosceret, aquam frigidam ingessit. Qua  
illa epota, cum vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno  
et sudore discussit.

CELSI PRÆFAT.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE.

Academiae Typographos.

---

M, DCC, LXXIV.

MICHAEL B. ...

IN A ...

POTIONS ...

MORBI ...

GUILLI ...

GRADU ...

...

JOANNES ...

...

...

...

...

THOMÆ BERTRAND GRIFFIN,

Virginienſi, Armigero,

Fratri ſuo cariffimo;

Et quondam, extincto parente communi,

Tutori et cuſtodi ita incorrupto,

Ut Parentis locum expleverit,

Probitate et bonis artibus ſpectato :

Nec non

J O A N N I T A Y L O E,

Armigero,

In Virginia Regii Conſilii proprii

Duodecemviro,

Eoque pari fide et dignitate munere

Semper functo,

Civium ſuorum amorem adepto pariter et merito,

Suum ob egregium illius in ſe ſemper habituro :

Denique,

J A C O B O M ' C A L L,

Mercatori Glaſcuenſi,

Cujus ſummam in ſe amicitiam,

Optimam voluntatem,

Et

Egregium amorem,

Ex quo in Scotiam venit, expertus eſt :

Hoc opusculum, primum ſuorum

Medicinae ſtudiorum laborem,

D. D. C. q.

J O A N N E S T A Y L O E G R I F F I N .

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

POTIONIS FRIGIDÆ IN FEBRILIBUS MORBIS USU.

**P**OTIONES vulgo in morbis febrilibus dari solitae, diluentia nominatae, licet satis diversae videantur, omnes ad aquam, aut puram, aut rebus quibusdam refertam, referendae sunt. Eae res aut accefcentes aut acidae fere sunt. Illae ex variis farinaceis et saccharo constant: Hae sunt, acidum nativum, fermentatum, et fossilia acidam. Ut ea in febribus et morbis febrilibus

A

dari

## 2 DE POTIONE FRIGIDA.

dari solitae potiones sunt ; ita de iis potissimum, in hac disputatione, sed solum quatenus frigida dantur, verba facturi sumus.

Gradus frigoris, quibus hae potiones dantur, sunt medii quotquot inter aquae fontanae temperiem, quae quinquagesimo circiter thermometri gradu notatur, ad nivis liquefcentis, tricesimo secundo gradu notatam, gradus intercedunt. Omnium horum graduum has potiones, Itali Medici, qui hanc rem suis curationibus prae caeteris illustrarunt, dare consueverunt. Quocirca, de frigidis potionibus locuturus, intra hos gradus, quicquid frigus dicam, consistit.

Priusquam argumentum proprium attingam, haud alienum videtur, pauca quaedam de communibus frigoris in corpore humano effectibus exponere; quo facilius ejus in morbis, ubi sub forma potionis administratur, agendi rationem et usum explicemus.

Prima et maxime manifesta frigoris proprietas est, omnia rerum corpora addensare, ita ut, in arctiorem molem redactorum, eorum

rum gravitas augeatur. Ut omnia corpora sic, ita non omnia pari ratione, addensat; siquidem vapores et humores idem frigus magis, quam firma corpora, densat. Haec frigoris proprietates adeo manifesta, et nota adeo est, ut pluribus de ea verbis nequaquam opus sit. Neque causa ejus ad nostram rem attinet, utpote cum satis sit rem ipsam cognovisse.

Idem potenter antisepticum est; nam, ut multa ostendunt, et fermentationi cuivis, et putredini insigniter resistit. Carnem quamlibet multo tardius hieme, quam aestate, putrescere nemo ignorat. Hinc, teste Bartholino, in quibusdam regionibus cameras ex nivibus instituere moris est. In iis caro per calores aestivos, quo minus in putredinem ruat, servatur. Eodem auctore, Spitsbergi in Greenlandia nihil ob intensissima frigora adeo aut putrescit aut corrumpitur, ut corpora, non extra frigoris vim sepulta, per triginta annorum spatium, putredinis expertia reperiantur. In eadem regione, quam in calidioribus, cerevisiae et vini fermentatio longe tardius

#### 4 DE POTIONE FRIGIDA.

tardius procedit. Idem adversus viva corpora vim antizymicam obtinere hoc argumento est, quod calidas regiones habitantium humores adeo in putredinem proni sunt. Quo fit, ut morbos illic habitus putridus fere semper comitetur; cum, e contrario, in frigidis tractibus orientes, habitui inflammatorio magis affines, a putrida natura magis alieni, sint. Eodem pertinet potestas ejus, qua vaporem e corpore humano, non solum morbo laborante, sed vel quam maxime sano dimanantem, reprimit corrigitque, qui, circa corpus congestus et stagnans, aut febrim excitando, aut forsitan aliter, toties est exitio.

Haec in simplicibus firmis et humoribus corporis humani, similia iis quae in variis corporibus inanimatis, frigus afficit. Cujus rei latitudo ea est, ut densans potestas omnia rerum afficiat, ab antizymica facile excipiantur. Verum, ne, qualis modo memorata actio sit, dicam, frigus in corpus humanum, eo quod animatum est, propriis modis agit.

Qui

Qui actionis modi maximi in hac re momenti sunt.

Actio frigoris, qua id potissimum corpus vivum afficit, dici potest esse, aut stimulans, aut astringens, aut tonica, aut denique sedans. Quibus pleraeque in corpore, per frigus effectae mutationes, praecipue explicabiles sunt.

Quod ad primum frigoris actionis effectum attinet; frigus primum corpori admotum et mediocre sensum ingratum et molestum excitat, et primum parti cui admoveatur, dein universo corpori, stimulo fit. Rectane is, an eventu, stimulus sit, nihil refert; sed unus hic frigoris effectuum est.

Proximus ejus effectus astringens est. A quo, cum fibrae musculares subito contrahantur, et arteriarum summae cutis cava satis multum imminuantur, totius summi corporis contractio cito sequitur. Haec contractio, per consensum summi cum reliquo corpore, mox ad majores arterias delata, harum quoque cava imminuit, ita ut hae arctius suum sanguinem complectantur, isque  
illas

## 6 DE POTIONE FRIGIDA.

illas firmiores et densiores, contra, reddat. Sic densitate et elasticitate firmorum aucta, cordeque et arteriis validiores contractiones cientibus, humores per varia sua vasa majori impetu pelluntur.

Ad haec duo capita pertinet potestas, qua frigus praeditum est, sanguinis ad partem, quam id protinus afficit, majori copia derivandi: Nam, ut satis manifestum est, frigus, corporum nostrorum ratione habita, mediocre et brevius admotum, partis quam movet calorem et rubedinem, quae auctae in ea parte actionis signa sunt, excitat. Unde frigus extremorum vasorum actionem intendere, dein totum corpus movere, manifestum est.

Hi frigoris effectus, qui, sublata causa, cito desinunt, ut supra dictum est, stimulans et astringens dici possunt.

Frigoris effectus, proxime memorandus, ab actione ejus multo his diuturniore oritur, et tonicus nominari potest. Tonica frigoris potestas, mobilitatem fibrarum muscularium morbosam imminuendo, harum tonum elasticitatem et contractilitatem augendo, et cerebrum,

rebrum, unde mens novum vigorem, robur, et alacritatem accipit, excitando, diuturnius genus nervosum afficit. Quae hujus mobilitatis causa sit, utpote qui humoris nervosi naturam prorsus ignoremus, non audemus dicere. Hoc tantum novimus, mobilitatem praecipue cum debilitate et atonia corporis connecti, et frigus, has imminuendo, mobilitatem imminuere et restituere vigorem.

Diversus ab his effectus frigoris est, quae deinceps memorandus est. Quidam caloris gradus ad corpus sanum servandum necessarius est. Quo infra necessarium deducto et imminuto, tam sentientes nervi, quam motores, minus suis officiis fungendis habiles fiunt. Haec frigus, cito subducto calore, praestat. Eandem caloris subitam diminutionem partim stimulo sensorio esse, et ejus actionem excitare, verisimillimum est. Si debito diutius frigus admovetur, nervi mutati motuum ad cerebrum, et contra, perferendorum potestatem amittent. Hac ratione, cutis et extremarum partium torpor per medios omnes imminuti motus gradus ad hunc prorsus perditum,

## § DE POTIONE FRIGIDA.

perditum superveniet. Hac in serie, primum muscoli minus et inconstantius suis officiis funguntur: Tum, vi cordis multum imminuta, pulsus debilis et inaequalis fit, horrore et tremore totius corporis, quae ut signa reactionis haberi possunt, comitantibus. Denique, frigoris effectus, ad cerebrum demum penetrans, summam in somnum proclivitatem inducit, qui postremo in mortem definit. Quae quidem, a frigoris actione, effectum, quem sedantem dicimus, oriri, declarant.

Qua ratione haec omnia explicanda sint; an, quod in firmum vivum, simili modo ac in simplex frigus, agat, scilicet, fibrarum illius particulas propius inter se adducat, et sic liquoris nervosi statum commutet; an quod ipsum liquorem nervosum protinus addenset, et sic, praeter ejus in firmum actionem, eum minus mobilem reddat, non audemus dicere.

Haec frigoris, extrinsecus corpori summo admoti, effecta sunt. Eademque rite considerata, frigoris intus in corpore, sub potionis  
frigidae

frigidae forma, quodam tenus actionem illustrant. Sed frigus, intus immissum, non tam late, quam extrinsecus admotum, agit. Ideoque, neque tot effectus, neque tam potentem quemquam, ab interno, ac externo frigore, sperandum est. Quia enim frigoris intus temperies, fugax, cito perit; ideo astringens et sedans ejus effectus minus observatur. Ac ne stimulans quidem tantum hac ratione, quantum illa facillime, suboritur. Tonica igitur virtus est, quae reliquis longe praestat; ideoque prae reliquis quoque consideranda est. Quod ita faciemus, ut aliarum rationem non omittamus. Quae eae sint, deinceps consideremus.

Praeter tonicum potionis frigidae effectum, a frigore pendentem, alius est, hic quoque memorandus, a fluore oriens; is diluens appellatur. Qui a diluente potionis calidae effectu eo distinguendus est, quod plerasque hujus proprietates possidet, et molliente ac relaxante, ideoque debilitante, in quibusdam morbis noxio, caret.

Haec, scilicet tonicum et diluens, sunt recta potionis frigidae effecta. Sed, praeter haec, aliquid potestati, qua frigida potio praedita

est, corporum nostrorum calorem imminuendi, tribuendum videtur. Imminuit nostrum calorem frigus, non ut refrigerans, potestatis genetricis causam infirmando, sed calorem abstrahendo.

Haec omnia remedii nostri primaria sunt effecta. Sed, praeter ea, aliud, et summi quidem momenti, secundarium effectum est; scilicet antisepticum. Antiseptica autem potio frigida, partim tonica, partim diluente, partim calori moderante, virtute est; ut postmodo in loco dicetur.

Quod ad tonicum frigidae potionis effectum attinet; ejus explicatio inde petendum est, ubi hunc frigoris cujuslibet effectum explicavi. Sic autem eam agere multa ostendunt. Itaque, sive labore, sive aestu, sive animi angore, sive denique impetu febrili, languet aliquis; quantum ad corporis et animi vigorem restituendum frigidae cyathus valeat, nemo est qui ignoret.

Dilutionis vires medicae, quibus et antiqui viri multum institerunt, nuper per totam Europam falsa ratione laudatae esse videntur.

Ejus

Ejus rei causa fuit Cartesianorum 'nova doctrina, quae febrilium morborum lentorem causam posuit. Ita Boerhaavius, et ejus aemuli, qui hanc causam febrium, ei acrimonia adjecta, amplexi sunt, curationem in humoribus diluendis, sic excretionibus augendis, et per has acrimonia corrigenda aut corpore ejicienda, collocarunt. Quae quidem ratio dilutionis longe praeter verum invaluit. Nam, licet nonnullis morbis febrilibus acrimonia quidem subsit; tamen ea plerumque neque causa est, neque ejus correctio sive expulsio causae remedium. Licet secundarium remedium esse, paulo post ipse concessurus sim. Quod primum Hoffmannus, deinde oblique ipse, nova causa adscita, Boerhaavius, postremo, fanioe doctrina rebus veris innisa, praeceptor noster Gulielmus Cullenus, ostendit. Is vir, in primis clarus, non in humoribus causam febrilem, sed in firmorum motibus, consistere demonstravit. Et, rejectis ex ratione causae non solum humoribus, sed et firmis simplicibus, quorum utraque licet affici quidem possint, tamen neutra ulla causae pars sunt,

funt, eam ad sola viva retulit. Denique, genus nervosum, et hujus originem cerebrum, hic peccare, et in ea causas remotas, ac praecipue debilitando, agere ostendit. Quo debilitato, cordis actionem imminui, humores ad extrema vascula minus perferri, perque id ea contracta constringi, declaravit. Unoque verbo, causam febrilem in debilitate spasmus creante, curationem in spasmi solutione, et virium et toni vasorum extremorum restitutione, posuit. Ad quem virum, quoniam ea quaestio a nostro proposito longius nos duceret, eam doctrinam plenius scire cupidos relegamus.

Hac doctrina sic proposita, dilutionem non ea ratione usui esse, ac hactenus creditum est, patebit. Quousque autem frigida potio diluat, et eo consilio danda sit, ut dicere coner; in iis casibus solis, ubi diluens sine molliente et relaxante proprietate requiritur, usurpanda videtur. Itaque, in omnibus febrilibus casibus, ubi secretionibus apertis, et acredinis vi aliqua pacta, aut corpore educta, opus est, ut diluens erit auxilio. Qui vero hi casus sint, postea

postea suo loco dicetur. Ut diluens quoque prodest, cum, vasa sanguifera intrando, sanguinem fluentiorem reddendo, hujus copiam augendo, vasa replendo, ad eorum extrema penetrando, haec referta et turgida facit servatque. Quo fit, ut constrictio febrilis superetur, et deinceps prohibeatur. Primus hic effectus manifeste diluens, novissimus tonicus est; nam, quantum vasa extrema sustentat, ut tonica sane agit. Eademque frigidae aquae dilutio fit oportet; siquidem calida, relaxando, eoque debilitando, prorsus diversum ageret, et tonum infirmaret. Hac frigidae potionis dilutione intermittentes aliquando sunt sublatae. Idem aut similis frigidae effectus in aliis febrilibus casibus saepe requiritur; quos utique in praesentia demonstrare neque facile est, et, si quid hujusmodi quando occurreret, postea commodius memorabitur.

Frigida potio, ut supra dictum est, calorem nostrum imminuit. Frustra autem aliquis, qui id fieri possit? roget; siquidem, ut nos quoque supra agnovimus, ejus ventriculo receptae temperies fugax cito pereat, et ad  
 corporis

corporis temperiem cito redeat. Ad quod, licet ita se res habeat, tamen, ut supra relatum est, calorem nostrum resorberi, summam utriusque caloris, saltem pro tempore, imminui, et saepius sic ingesta aqua, iterato lenimine, corpus recreari, respondeo. Quod non adversus febrilem aestum non magno saepe auxilio esse potest. Quis autem in Zonae Torridae plerisque febribus, aut in aliorum locorum multis, ubi aut coeli aut corporis calor intolerabilis, aut putredo forsitan subest, lenimini, et forsitan saluti, fore frigidam potionem, negaverit? Quibus vero in casibus sic potio frigida profit, non hujus loci est dicere, et postea suo loco exponetur.

Primariis frigidae potionis effectibus jam expositis, ad secundarium, nempe tonicum, effectum transeundum est.

Antiscepticam frigidam potionem primum tonica sua virtute esse, dictum est. Cum enim saepe putridus febrilium morborum habitus in tono per totum corpus imminuto, quo fit ut humores stagnantes in putridum statum ruant, consistat; ita frigus potionis ingestae,

ingestae, tonum restituendo, effectum, nempe humorum stagnationem, et putredinis periculum, tollet. Eiusdem vis antiseptica in diluente quoque proprietate consistit. Itaque, five cum rebus in primis viis putrescentibus, five cum sanguine in hujus vasis, five cum eodem in extremis vasculis, five ad organa fecernentia penetrans, cum liquoribus fecerendis conjungitur; in omnibus his operibus, partim particularum putridarum vim frangendo, et sic corrigendo, partim easdem corpore abducendo, antiseptico officio magis aut minus fungitur.

Hos frigidae potionis, ex tonica et diluente ejus virtutibus pendentibus, effectus, vis ejusdem, calori nostro moderandi, pro ratione, qua hoc facit, adjuvare et promovere credenda est. Quippe enim huc usque procedere res debet, ut, si calor putredinem foveat, eo imminuto, haec necessario imminuatur.

U S U S

USUS EJUS IN MORBIS FEBRILIBUS.

Ut frigidae potionis usum natura suadet, ita ab ea dissuadere solius artis est. Hoc in loco quantum natura, cupiditatem frigidae potionis in nobis excitando, erret, aut recte judicet, requiri possit. Quae quaestio non auctorum suffragiis, quippe quorum plerique, ut Stahliani et eorum aemuli, prope nihil non naturae prudentiae tribuant, et omnes fere perpetuum prope id, quod tantummodo aliquando, sub certis conditionibus, et intra quosdam fines, incidit, esse contendunt, sed rei verae ratione, dijudicanda est. Cui stantes, potionem frigidam, prout recte aut secus administratur, aut prodesse plurimum, et efficax esse remedium, aut plurimum obesse, dicimus. Galenus febres sanguinis detractione et frigore plerumque curavit: Quod tamen inflammatoriis morbis noxae esse posse fatetur. Celsus, *l. 3. cap. 7.* sub finem, frigidam ut remedium, sed intra certos fines, laudat. Hoc  
praeceptum

praeceptum pro perpetuo dari liceat, scilicet in habitu phlogistico et morbis inflammatoriis, frigidam noxae esse.

Contra, ubi arteriarum tonus, quod in omnibus nervosis et putridis febribus fit, deficit, et generis nervosi vigor imminutus est, eadem secundum, saepe necessarium, remedium est.

Verum, cum haec ita sint, non tamen morbis inflammatoriis prorsus diversam curationem respondere dixerim; in quibus, e contrario, nimium omnem calorem vitandum, et mediam temperiem, neque hinc calore, neque illinc frigore offendentem, diligenter servandam, contendo. Quae media temperies non fixa et eadem ubique est, sed coeli naturam sequitur: Estque in aliis locis alia. Quod, cum ita sit, aliarum plagarum aegrotantes alios frigoris gradus postulabunt. Sexagesimo secundo thermometri Fahrenheitiani notatus calor idoneus in Britannia ducitur.

In regionibus calidis, ubi febres, praecipue autumnales, licet saepe a symptomatis inflammatoriis inchoentur; his cito decedentibus, in nervosam et putridam naturam, cum omnibus totius corporis debilitatis et atoniae signis et properantis putredinis periculo, degenerant; iis febribus potissimum potio frigida remedio est. Eandem sub plerarumque febrium finem, ubi nulla partis affectio est, quales semper inflammatorias esse credibile est, item, ubi iteratis accessionibus et prioris morbi impetu, vigor et tonus corporis immixtus sit necesse est, tonum et vigorem augendo, cum plurimo fructu adhiberi verisimile est.

### IN FEBRIBUS.

Pauca de frigidae potionis usu in febrilibus morbis communiter praefatus, nunc de eodem in singulis pyrexiarum ordinibus differere

rere conabor. Exordiumque ab intermittentibus sumam.

### IN INTERMITTENTIBUS.

An ulli omnino liquores, in accessione febris intermittens, dandi sint, necne, magnae controversiae fuerunt. Medici Hispani, antiquorum multos imitati, ante accessionem consistentem potionibus interdiciunt. Alii in contrarium cucurrerunt, et omni accessionis tempore liberum potionis usum permiserunt. Nos, mediam quasi viam tenentes, finito frigore, ita modice potiones dandas arbitramur, ut neque pro libito aegrotans bibat, nec siti crucietur, et, coepto demum sudore, quantum velit assumat.

In calidis regionibus, stante accessione, frigida modice potui dari consueta est: Ea sudorem expedit, nec solum saepe accessionem sublevat, sed morbum e modio tollit. Quod quidem, corpori tonum et vigorem  
red-

reddendo, naturamque, per se saepe minus valentem, ad spasmodicam vasorum extremorum constrictionem superandam adjuvando, facit. In hanc fere rem Riverius: ‘In hac curatione,’ inquit, ‘observandum est, spiritus sulphuris guttis viginti, cum libra aquae frigidae exhibitis, sudores copiosos fuisse provocatos, quod multis experimentis nobis innotuit, qui plures tertianas curatas vidimus eodem remedio, in summo accessione aestu, et urgente siti exhibito, unde sudores copiosi provocabantur, a quibus non solum paroxysmus, sed etiam totus morbus, integre solvebatur.’ Lancisius nihil nive, ad humilium et palustrum locorum incolas a febris defendendos, melius esse proponit. Hanc rem Cleghornius prudentissime tractavit: Qui ‘pervulgata,’ inquit, ‘inter medicos quaestio est, utrum, in accessione, calida an frigida potui dari debeat? Hispani medici quam maxime frigidam aquam dant. Quae, nisi subito et magna copia hausta est, non solum tuta et innoxia in febris aestivis, docente experientia,

tia, est, sed calidis potionibus longe antepo-  
nenda. Quibus sitim melius restinguit, vaso-  
rum calore resolutorum et enervatorum tonum  
roborat, et sanguinem in putredinem ruere  
prohibet. Itaque, post unumquemque hau-  
stum, corpus novum vigorem, quo febrilem  
materiam concoquere, et propriis exitibus e-  
jicere valeat, recipere videtur. Qui igitur  
suae curae commissis tam praesens et gratum  
remedium, renitente natura, et prudentissimis  
medicis contra suadentibus, denegant, profec-  
to sunt culpandi. Quod, cum ita sit, quia  
summum tamen periculum est, ne sanguis  
intenso frigore et repente admoto coeat; sic,  
nisi aegrotans ei sanus assueverit, aqua glaci-  
alis, Italorum et Sicularum more, danda non  
videtur; et, si viscera inflammantur, tepida  
aut egelida potio tutior erit.'

## IN SYNOCHA.

In synocha, cujus symptomata, 'calor plu-  
rimum auctus, pulsus frequens, validus, et du-  
rus,

rus, et functiones cerebri parum turbatae, auctum generis arteriosi tonum manifesto indicant; frigida potio, quae illum statum exasperaret, et aegrotanti noceret, aliena est. Cujus tamen morbi extremo tempore, cum, inflammatione jam sublata, nihil praeter communem toti corpori laxitatem et debilitatem superest, ea satis utiliter, ad robur et vigorem corporis restituendum, dari demum potest.

## IN TYPHO.

Eadem in typho, ubi tonus deficit, et cum robore totius corporis vigor imminutus est, summo est remedio. Quantum autem dandum sit, aegrotantis cupiditati relinquendum est, neque ultra hanc procedendum. Qui enim aliter faceret, ea molestia delirium et alia symptomata ita exasperaret, ut omnia remedia bona frustra forent. Neque inutile hoc praeceptum est, ut potio talis plerumque sit, quali

quali homo sanus affueverit. Plebeculae hujus regionis, quae sana eam liberrime bibere confueverit, cerevisia imbecilla summo usui esse reperta est.

Hac ratione potio frigida, si recte administratur, vim nervosam jacentem excitabit, et, ut, communi corporis vigore aucto, cor contractiones suas validius et plenius peragat, aequalioremque et pleniorum pulsum det, efficiet. Porro, inter descendendum ad stomachum, fauces attingens, et harum glandulas simul spasmis liberans, simul stimulans, faciet ut hae suos humores liberius profundant, et sic sitim levabit; si modo, ut credimus, hanc faciat ductuum glandularum excernentium spasmus una cum febrili calore; qui fluidiores secretorum in faucibus humorum partes dissipat, et viscidiores reliquos reddit. Tonus etiam intestinorum auctus, ut ea prius sterminus expellant, quam nimiam hoc putredinem nactum sit, efficiet, quod illa ante prae debilitate immodica facere non poterant.

## IN FEBRE PUTRIDA.

In hoc morbo potio frigida paria, ac in typho, commoda dat; et, praeter ea, putredini humorum resistit. Eadem etiam in genus nervosum agere, idque ut materiae putrescentis noxae resistat, facere potest.

## IN SYNOCHO.

Initio synochi symptomata inflammatoria, et auctus arteriarum tonus, frigidam potionem, ut manifestae noxae futuram, vetant. Quibus utique, procedente morbo, sublatis, et, morbo in typhi formam mutato, illa utiliter dabitur.

Post febres, ad phlegmasias deinceps transfundendum est.

## IN PHLEGMASIIS,

Ut in synocha ob habitum phlogisticum, atque etiam in aliis febribus quibus aliqua congestio inflammatoria subest, potionem frigidam vetari dictum est; ita in toto phlegmasiarum ordine manifesto rejicitur: Siquidem omnia earum genera a frigoris actione congestionem localem faciente, quam deinde totius corporis pyrexia, cum omnibus habitus inflammatorii magni indicibus, sequitur, exoriuntur. Quem statum morbosum, summo cum periculo atque etiam pernicie, quaelibet frigoris forma non augere non posset. Licet vero frigus his morbis sic interdicator, tamen, rejecto pariter calore, media temperies observanda est, et, quod ad nostram rem est, tepidae potiones dandae.

D

IN

## IN EXANTHEMATIS.

Quoniam, multa hujus ordinis exanthemata sint necne, incertum est, et alia manifesto non sunt, alia parum noscuntur, nobis ignorantur; ita praecipua genera, reliquis omissis, hic attingere decrevimus.

## IN VARIOLA.

Licet variola inflammatoria sit, tamen in nullo morbo in habitu phlogistico posito tam libere frigus, quam in hoc, et miro cum successu, admotum est. Quodque magis mirearis, quo plus inflammationis subest, eo efficacius remedium fere frigus est. Quam rem Suttonianorum per totam Britanniam multa millia curationum manifesta fide confirmant.

Et,

Et, licet solum infitionis commodum non fit, pars tamen maxima est, frigus, aut extrinsecus admotum, aut potionis forma datum. Quae res adeo priores rationes percellit, ut, invento demum vero, difficile sit novis rationibus explicatu. Cujus utique explicatio, caloris effectibus consideratis, impetrari aliqua potest.

Calor in summum corpus agens, toti generi nervoso stimulo fit, et sic, cordis et articularum actione aucta, humores, et cum iis materiam variolosam, celerius ad summum corpus rapit, quam ut haec libere exire possit: Itaque hujus pars magna subter cutem effusa pustularum numerum auget, in quo, quicquid periculi variola habet, consistit. Quae ratio certis rebus innititur: Sic faber-ferrarius, cujus alterum latus calori obiectum multitudine pustularum obsessum est; sic quidam, cui, cum in molli sedili ante ignem procubuisset, idem contingit; sic quoque praestigia Suttonianorum, qui, impositis emplastris, racematim, aut qua figura velint, pustulas

pustulas educunt; denique, puerilis vultus  
 pars altera, quae finis materni calori, magis  
 quam altera, objici consueverit, pustulis one-  
 rata; postremo mille experimenta, hunc esse  
 effectum caloris demonstrant. Si haec igitur  
 caloris sunt effecta, ut contraria frigoris  
 actio sit necesse est. Id sedando agit, nimios  
 generis nervosi motus imminuit, pyrexiae  
 vim reprimit, impetumque humorum in sum-  
 mum corpus retundit, et materiam variolosam  
 debito ordine exire, nulla aut exigua parte  
 subter cutem effusa, permittit. Hinc, quare  
 frigus, febris pustulis praeceuntis tempore  
 admotum, tam lenem morbum praestet, haud  
 adeo difficile conceptu est. Hac re, ut potui,  
 explicata, et ita quidem ut variolae naturae  
 satis conveniat; aliquot tamen scrupulos hic  
 restare, haud facile ratione qualibet solven-  
 dos, haud dissimulandum est, et hanc rem  
 magna ex parte supra rationes nostras esse,  
 fatendum: Neutiquam enim similibus ca-  
 sibus frigoris in variola explicatio quadrat.  
 Frigus enim latius et liberius in variola, quam  
 in quovis alio, quantum novimus, exanthe-  
 mate,

mate, quod habitus quoque inflammatorius comitatur, prodesse manifestum est. Utrum haec, quaeso, explicatio ad difficultatem solvendam pertineat? Licet variola pro phlegmasiis acutis haberi possit, in habitu phlogistico consistat, et ideo aliis phlegmasiis similiter frigoris usum parum recipere debeat; tamen eum recipere videtur, quia nullum organum internum, quod aliis phlegmasiis et huic similibus exanthematis usu venit, inflammationis periculum adit. Verum, licet inflammationes hujusmodi internae, ut innumera nunc experimenta ostendunt, perquam raras sunt, eas tamen posse incidere, temerarii esset negare. Si quando igitur incidunt, ut in faucibus aut thorace, frigida nostra curatio minus libere utenda, sed in eo solo casu videtur. In confluente variola, ubi petechiae et febris putridae reliqua signa apparent, ita, ut in febre putrida dictum est, liberrimus frigoris, et praecipue potionis frigidae, usus imprimis respondebit.

## I N R U B E O L A .

In rubeola talem frigoris usum, qualem nuper in variola, minime sumus experti. Nam, licet rubeola, ut variola, inflammatoria sit, et in nonnullis rebus eam referat; in aliis tamen ita discrepat, ut, frigus in ejus curatione tam libere adhiberi posse, vix sit sperandum. Rubeola, cum affectu inflammatorio locali, ut, coryza, angina, et catarrho, invadit. Quae affectiones, saltem catarrhales, cum habitu phlogistico non solum per febrem, popularum exitui praecedentem, et quamdiu hae apparent, sed, quod mirum videatur, post earum decessum, permanent, et in peripneumoniam, quam semper minitantur, ac mortem saepe desinunt. Ob quas causas, frigoris usus nunquam potest tam rubeolae quam variolae convenire: Atque e contrario aequè calor nocet. Et, ut in phlegmasiis, ita hic quoque, media temperies, neque

que calore irritans, neque frigore habitum phlogisticum augens, servanda est. Quod cum ita sit, et merito a plerisque hujus morbi casibus frigus, ut remedium, rejiciatur; si tamen, quod addubitandi causa non est, casus variolae dantur, qui, teste medico Watsono, putridae naturae sunt; in iis minime dubitandum est, quin, ut in febre putrida, frigoris, et praecipue frigidae potionis usus, sine metu liberrime adhiberi possit,

### IN MILIARIA.

Cum, ut credibile est, miliaria nunquam ut morbus idiopathicus appareat, sed semper, aut febrilium casuum, supra memoratorum, sub certa administratione, praecipue calore et curatione alexipharmaca adhibitis, symptomata sit, semperque raptum in cutem impetum et peculiarem hujus statum, qui hic non est explicandus, sequatur; ideo eam omnino

omnino praetereundam duximus; si quidem quaeque in ea nostrum remedium efficit, ea omnia, sub iis morbis, quorum hoc symptoma est, jam antea sunt exposita.

### IN HÆMORRHAGIIS.

Nunc, an frigida potio in haemorrhagiis profit necne, et in quibus profit, deinceps dicere conabor. Has pathologi, et praecipue Stahliani, in activas et passivas diviserunt. Activae ab aucta actione arteriali oriuntur. Hujus causa est sanguis, in arteriarum portionem, aut ab initio, aut abundantia prius in proximis venis nata, dein ad arterias communicata, congestus. Ea aucta actio vulgo conamen vel molimen haemorrhagicum appellata est, et profluvio praeiens febrilem statum excitat. In passivis, actio arteriarum neutiquam augetur, molimen haemorrhagicum nullum est, et in debilitatis et relaxatis vasis,

vasis, five arteriosis five venosis, affectio tota consistit: Ea debilitas cum relaxatione vel toti corpori communis est, et habitus hydropticus dicitur, vel parti propria, vitium organicum est. Passivae haemorrhagiae, a nostro proposito quia alienae sunt, iis omissis, quid in activis, seu febrilibus, nostrum remedium valeat, paucis dicere conabor.

Phlegmasiae et haemorrhagiae magnam inter se similitudinem habent: Eidem aetati communes sunt, in eodem habitu phlogistico, eademque sanguinis distributionis inaequalitate, utraeque consistunt, ab iisdem causis remotis oriuntur, eandemque causam proximam et sedem ferre habent; in hoc solo differentes, quod haec amplius, illae angustius, arteriarum spatium occupant; et vasa, in quibus phlegmasiae sedent, in densiore membrana sustentantur; cum ea, quae haemorrhagias continent, in laxiore tela cellulosa sita, facilius sanguinis impetu disrumpantur. Cum igitur, hoc discrimine excepto, hi duo febrilium morborum ordines adeo inter se affines sint,

et frigidam potionem a phlegmatis supra rejecerimus; ideo eam et ab haemorrhagiis rejiciendam sequi videatur. Idque revera, una curationis distinctione excepta, concedimus: Quamdiu enim congestio seu plethora partis permanet, quamdiu molimen haemorrhagicum aut habitus phlogisticus subest, aut denique harum rerum vel suspicio restat, tamdiu remedium nostrum vel negandum omnino, vel cautissime administrandum, fatemur.

Verum, cum haemorrhagia jam incidit, jamque eo processit, ut causam suam congestionem et actionem arterialem auctam sustulisse, et, ut saepe usu venit, excessus ejus grandius malum parare, credenda sit; tum, timore Stahliani spreto, curatio, ut aliis remediis in phlegmatis non tractandis, ita frigoris et frigidae potionis usu aggredienda est.

Hic vero animadvertendum est, frigoris, quae requiritur, actionem nunquam esse stimulatricem; cujus diu adstringens effectus quaesitus est. Quo consilio multa adstringentia

gentia intus adhibita sunt, quorum pleraque aut nihil aut cum periculo agunt, ac ne quicquam quidem eorum efficax remedium est. Eodem consilio, scilicet, ut partis laborantis vasa constringeret, frigus usurpatum est. Cujus virtus, quae magna saepe est, potestati adstringenti minus, refrigeranti magis, tribuenda est. Ad cavendum stimulum, frigus subito aut magno gradu ipsi parti non admovetur; distanti vero parti, ut cervicibus, ut genitalibus, et tenui tergi parti, quilibet gradus sine periculo prodest. Simili modo frigida potio, calorem corporis, quo modo supra dictum est, imminuendo, partem laborantem vi refrigerante afficiendo, et salium neutrorum et acidorum, quae in curatione adhibentur, opus secundans, ad summum corpus humorum impetum vertit.

F I N I S.

gentis in his adhibita sunt, quorum plerique  
 aut nihil aut cum periculo agunt, ac ne quae  
 quam quidem eorum esse remedium est.  
 Medicam consilio, scilicet, ut patris laborantis  
 valeat contingeret, si quis in partu est. Cum  
 sua virtus, quae magna saepe est, pariter ad-  
 tingenti minus refrigeranti magis, tenuis  
 erit. Ad eundem similitudinem, si quis  
 subito aut magno gradu ipsi parti non ad-  
 movetur; distanti vero parti, ut cervicibus,  
 ut genitalibus, et tenui torqi parte, quibus  
 gradus sine periculo probat. Simili modo  
 frigida potio, calorem corporis, quo modo  
 supra dictum est, imminuendo, partem labor-  
 antem vi refrigerante alleviando, et saltem  
 nequorum et acidorum, quae in curacione  
 adhibentur, opus secundo, ad sanandum cor-  
 pus humorem ipsi etiam ventis.